

Concupiscentia consequens ea est quae non praevenit actum voluntatis sed ab eo excitatur.

Metus. Animi dejectio ex malo apprehenso ut terribili et imminente et non vitabili; seu brevius: Instantis periculi causa mentis trepidatio. Est *gravis* vel *levis*.

Metus gravis est si malum imminens grave sit, ut sunt *mors, infamia*.

Metus levis est si leve sit malum imminens. Adverte tamen quod malum leve in se potest esse relative grave, respectu nempe pueri vel puellae, et consequenter metus levis potest esse relative gravis.

LEX. Ordinatio quaedam rationis ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata. *Aliter:* Regula quaedam seu mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur. Dividitur in: *aeternam, naturalem, positivam, divinam et humanam*.

Lex aeterna. Ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva omnium actuum et motuum (S. Th.).—Ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari iubens, perturbari vetans (S. Aug.).

Lex naturalis. Participatio legis aeternae in rationali creatura (S. Th.).

Lex positiva. Ordinatio rationis, determinans indeterminata a lege naturae et huic consona, ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis promulgata.

Lex divina positiva illa est quae libere a Deo datur hominibus, ut sunt leges tum veteris tum novi Testamenti.